

1453

I C O D I C E S

1454

1607. Autorem e nobili nunc extincta Profapia Austriaca 29. annis castra Protestantium secutum in Matris Ecclesiae gremium rediisse, pollentemque otio rustico laborem hunc e Scriptis Bellarmini, Greg. de Valentia, Peltani, Mart. Becani, Jac. Keller, Mich. Bentzii, Hier. Plati, Pistorii, aliorumque instituisse. Libris VII. illum definivit, quorum I. de Primatu Papae, II. de Antichristo, III. de Notis verae Ecclesiae, IV. de Justificatione, V. de Miserae Sacrificio, VI. de septem Sacramentis, VII. de reliquis Locis controversis, puta de SS. Invocatione, Purgatorio, libero Arbitrio, Judice controversiarum, Votisque monasticis solide tractat. Perorationem deesse suspicor, nec unquam de hoc Speculo typis commisso quidquam comperi.

DCXXXII.

E. 11 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Pagg. 300. f. non una manu conscriptus, quondam D. Job. Frid. Mayeri celebris inter Protestantes Theologi, dein a magno Leibnitio Principi Eugenio de Sabaudia oblatus Spicilegium Operum Mart. Lutheri complectitur, cujus Titulum exhibeo: *Der zehende Theil aller Bücher und Schriften des theuren seeligen Mannes Gottes Doctoris Martini Lutheri, darinnen begriffen etliche Schriften und Predigten, vom Jahr Christi 1517. bis aufs Jahr 1546. von D. M. Luth. geschrieben, und bisshero in keinerley To-*

mis gedruckt. Jetzo aber auff Churfürstl. Durchleuchtigkeit zu Sachsen Herrn Johann Georgen des Dritten Gnädigsten Befelch zusammengetragen, Mit einer Vorrede Herrn D. Abraham Calovii Past. und Profess. Theolog. Primarii zu Wittenberg, des Fürstenthumbs Sachsen Gen. Superint. und Consist. Assessoris &c. Job. VI. Samlet die übrigen Brocken, dass nichts umbkomme. Abraham Calovius, D. p. t. Decan. Infracalamo expressa imitatio Iconis illius, qua in Editionibus antiquioribus Elector Sax. et Lutherus Christo cruci adfixo adgeniculati visuntur. Subjectum: Wittenbergk. Fol. altero ejusdem modi Lutheri Effigies ad eam adumbrata, quam Lucas Kranach, ut habet ἐπιγραφή, anno 1546. Wittebergae sculperat. Additi Versus lat. et germ. in ejus laudem autore J. G. Z. quem Job. Godefr. Zeidlerum interpretor, motus praecipue Literis Codici adjectis, quibus Job. Ge. Mansfeldius a. 1682. 23. Sept. mentem Consistorii Isleb. exquirat de Opere, quod Vir hic παρὰδοξος susceperat, quodque non aliud esse putem, quam praefens Spicilegium, quod Exegetica varia, Praefationes, Sermones, Epistolas, et alia Lutheri Polemica vel olim seorsum edita, vel hic in aliam linguam conversa, aliqua etiam ἀνέκδοτα complectitur, adjectis paene ad singula in margine, quae Lutheri Βιβλιογραφίαν illustrant. Ea porro industria, quae olim jam impressa fuere, hic repraesentantur, ut male feriatus Com-

Compiler ne quidem a spurcis et Hierarchiae Ecclesiae Rom. maxime injuriosis Iconismis manum abstinuerit, quae res vel ipsi Calovio stomachum movisse videtur; neque enim adest promissa in Titulo ejus Praefatio, ut adeo totum Editionis hujus consilium intercidisse putem, Electore et Mansfeldio patrociniis detrectantibus. Ceterum omnia, quae hoc Codice continentur, quaeque longum foret minutim percensere, nullus dubito in ultimam, amplissimamque Operum Lutheri Editionem Lips. recepta fuisse, si demas Icones ipso Stercutio artem commodante a fol. 251. adumbratas, quae inscribuntur: *Wieder das Pabstthumb. A. 1545. Etliche Bilder D. Mart. Luth.* Rhythmos 4. vernaculos singulis subjectos vix mihi persuadeo Lutheri esse, ita hiulci sunt; eos tamen sedulus Poeta noster laureatus Zeidlerus etiam latine reddidit, addita a tergo Glossa Magistrali rhythmica vernacula, quae latrinam profundius rimatur, et Zeidlero antiquior est. Facile haec Luthero altero mox anno e vivis sublato subponi potuere, et sane non unus Autor, si in vitam rediret, respueret quaedam suo nomine vulgata ab Heredibus prave officiosis.

DCXXXIII.

R. 635 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 161. 4. est Paraphrasis metrica primae Psalmorum

Davidicorum Quinquagenae, inscripta: Die ersten funffzig Psalmen, wie sie nach der ordnung im Psalter Davids stehen, vnd dem deutsch vnd dolmetschen nach, des Erwürdigen vnd Hoherleuchten Mans Gottes Herren Doctoris Marthini Lutheri (cujus Iconem Compactor etiam Thecae auro impressit) In Reim vnd Gesangweys auff's neu gestellet, durch Michael Wincklerum dienern des H. Euangelions, vnd Pfarherren zum Traunstein. Nach Christi Geburt Im Jar. 1572. Mich. hunc Wincklerum nec in sic dicta Rappachii Presbyterologia Austriaca, nec in aliis Lexicographis reperio, nec ille de se aliud in Praefatione memorat, quam variorum Procerum et Civium Styrensum beneficiis adjutum fuisse, dum dimissa Parochia Gemundensi muneris expers apud Job. Kugelmanum Seniore et Pastorem Anasimum degeret. Et fortassis ille cura Gemundensi Flacianorum machinis extrusus fuit, contra quos Peccatum originale merum Accidens esse docet. Directa est haec Praefatio ad Sophiam Achatii de Landau L. B. in Rappotenstein Conjugem, Matronam, ut ait, divini Verbi amantissimam, sed et quidam Psalmi aliis dicati sunt, puta: Job. Adamo Hoffman Bar. in Grünpubl et Strechau Burggravio Styrensi, Ge. Achatio D. de Losenstein et Weyssenburg, Bar. in Losensteinleyten, Magdalenae natae de Scherffenberg viduae Johannis de Prag, et D. Catharinae Oetta-